DISSERTATIO MEDICO-POLITICA INAVGVRALIS

DE KELOTOMIAE ABVSV TOLLENDO

Vom Misbrauch des Bruchschneidens

QVAM

PRÆSIDE

LAVRENTIO HEISTERO

M. D. ANATOM. CHIRVRG. AC PHYSIOLOG. PROF. CELEBERRIMO

PRO LICENTIA

SVMMOS ET DOCTORALES IN ARTE MEDICA HONORES IMPETRANDI

PVBLICAE DISQVISITIONI EXPONET

ANTONIVS MOMBER

ELBINGA-PRVSSVS.

AD D. II NOVEMBR. MDCCXXVIII.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

KELOTOMIAE ABVSV TOLLENDO.

I.

SVb *herniæ* nomine, quod, teſte CELSO, a) indecorum, ſed commune apud Romanos nomen fuit, intelliguntur varii tumores, qui in ſcroto potiſſimum, deinde etiam in inguinibus & umbilico, variis ex cauſis, præter naturam ſæpe oriuntur, earumque per ſectionem, inciſionem, ſive ſcalpellum curatio κηλοτομή, ſive Kelotomia Græco vocabulo, a Κήλη hernia & τομή ſectio, itemque *herniotomia* appellatur: quique ita hernias curandas ſuſcipit, *herniotomus* ſive *kelotomus* vocari poteſt. Quid hernia quid kelotomia.

II.

Hæc chirurgica curatio etſi utiliſſima & ſumme ſæpe neceſſaria ſit variis in morbis, qui herniæ nomine hodie in- Kelotomia ſæpe noxia.

a) Lib. VII. cap. XVIII.

insigniuntur, atque apud veteres, ut ex CELSO, a) PAVLLO ÆGINETA, b) aliisque videre eſt, iam frequenti in uſu, imo præcipuum & unicum fere fuerit remedium, quemadmodum ſpeciatim ex ÆGINETA cognoſci poteſt, c) qui nullius alius curationis, quam quæ per ſectionem fit, mentionem facit: imo Arabes, quos Itali, ut FABRICIVS *ab Aquapendente* d) & SCVLTETVS e) teſtantur, ſequuntur, ferramenta candentia addiderint; tamen dum hodie maiori longe luce, cum in anatomica corporis cognitione, tum in chirurgica medicina fruimur, ſectio illa periculoſa non adeo promiſcue in omnibus herniis, præſertim infantum, puerorum, & iuvenum neceſſe eſt; ſed potius in his, ut oſtendere alloborabimus, reiicienda ac deteſtanda: quia ſine vitæ periculo, maximis doloribus, aliisque incommodis, ſæpe perfici nequit, atque plerumque longe tutiori, ſecuriori, iucundiorique modo curari poſſunt, ut ſectione hac adeo periculoſa, ac reipublicæ adeo pernicioſa in earum curatione carere ſæpiſſime queamus.

III.

Herniæ variæ ſunt.

Hæc vero quo facilius explicem, prius natura ac diverſitas herniarum adeo multarum, quibus corpus humanum affligitur, paucis proponenda eſt: ut eo melius inde pateat, quibus in morbis kelotomia ſive herniotomia inutilis, noxia atque reiicienda; & in quibus contra utilis atque admitti queat ac debeat.

IV.

Quid herniæ veræ.

Dividi hodie ſolent in *hernias veras* ſive proprie ita dictas, & in *ſpurias* ſive improprie aut minus recte ſic dictas.

a) loc. cit. b) Lib. VI. cap. 62. ad 66.
c) Lib. VI. cap. 65.
d) Oper. Chirurg. lib. de tumor. cap. XXV. & XXVII.
e) Armamentar. Chirurg. in folio pag. 56.

ctas. Illæ, ſive veræ ſunt, ubi per dilatatum vel ruptum peritonæum (ita enim interiorem abdominis membranam vocant) & cumprimis per ita dictos proceſſus peritonæi, ſive membranas, quæ vaſa teſtium, teſtesque ipſas in volvunt a), inteſtinum aut omentum e ventre infimo prolabuntur ſive expelluntur, eaque ubi inteſtina procidunt, ἐντεροκήλη ſive *enterocele*, a Græco ἔντερον inteſtinum, & κήλη hernia dicitur; ea vero, ubi omentum excidit, ἐπιπλοκήλη ſive *epiplocele*, ab ἐπίπλοον omentum; illa autem, ubi inteſtinum & omentum ſimul deſcendunt, *entero-epiplocele* nuncupatur. Hæ vero herniæ ſive deſcenſus prædictarum partium, tumoresve inde oriundi, ſi in inguine contingunt, & ultra hæc non deſcendunt, βουβωνοκήλη, *bubonocele* ſive hernia *inguinalis*, itemque *imperfecta* aut *incompleta*; ſi in ſcroto, *ſcrotalis*, Græcis ὀσχεοκήλη, *oſcheocele*, ab ὄσχεον, quod ſcrotum ſignificat, ut & perfecta ſive completa audit; ſi in umbilico ὀμφαλοκήλη, *omphalocele*, ab ὄμφαλος, umbilicus appellatur: quæ omnes laudatis veteribus iam ſatis notæ erant atque perſpectæ. Recentiores vero eiusmodi etiam prolapſiones inteſtinorum fieri obſervarunt ea in parte abdominis, ubi vena & arteria cruralis abdomine egrediuntur, quas propterea hernias *crurales* vocant. Deinde quoque in variis abdominis partibus, ubi aliqua interioris abdominis membranæ debilitatio, læſio, aut relaxatio prægreſſa eſt, inteſtina & omentum quandoque tumores facere recentiores notarunt, (licet iam CELSO haud incognitæ fuiſſe videantur b) quas hernias *ventrales* nominant; de quibus vero omnibus prolixius Experientiſſ. D. PRÆSIDIS chirurgia videri poteſt. Hi inteſtinorum & omenti deſcenſus vel in abdomen tanquam locum naturalem repelli poſſunt, vel

 non

a) Delineati videri poſſunt in VERHEYENI Anatom. Tab.V.DD.

b) Vid. eius cap. XVII. Lib. VII. cuius titulus: *de interiori membrana abdominis rupta.*

non poſſunt. Si repelli non poſſunt, *herniæ incarceratæ* audiunt: quia inteſtina, ſtercore plerumque flatibusque repleta, quaſi in carcere incluſa ſunt, atque ſæpe inflammantur; ubi vero graviſſima brevi ſymptomata, dolores in ſcroto, inguinibus & abdomine acerbiſſimos, obſtructiones alvi pertinaciſſimas, vomitus enormes, aſſumtorum, bilis viridis, quibusdam etiam nigræ, & ſubinde materiæ ſtercoreæ, & cumprimis inflammationes ac gangrænam excitant, (quem affectum *paſſionem iliacam*, ſive *miſerere* appellant) imo ſæpe miſeram mortem producunt.

V.

Quid ſpuriæ. Atque hæ ſunt herniæ, quæ verarum aut proprie ſic dictarum nomine inſigniuntur a Medicis. Spuriæ vero, falſæ aut improprie ſic dictæ, *ii ſunt tumores, qui in ſcroto aut inguinibus, non a deſcenſu inteſtini vel omenti proveniunt*, verum alii cauſæ ortum debent. Ita enim ſi ab aqua, ſive ſero, aut liquore quocunque alio ſcrotum diſtenditur, ὑδροκήλη, *hydrocele*, i. e. hernia *aquoſa*; ſin a flatibus ſive aere, πνευματοκήλη, *pneumotocele*, ſalutatur tumor. Quando teſticulus vel enormen magnitudinem aſſumit, atque ut ſcirrhus, indureſcit; vel caro quædam morboſa, dura prope teſticulum vel in ſcroto excreſcit, σαρκοκήλη *ſarcocele*, id eſt, *hernia carnoſa* dicitur; quando vero vaſa teſticulorum in proceſſu peritonæi & ſcroto prope teſticulum præter naturam valde intumeſcunt, κιρσοκήλη, varicocele, aut hernia varicoſa, atque a CELSO ramex vocitatur. a)

VI.

Cauſſæ herniarum. Cauſſam herniarum verarum veteres, ut ex CELSO b) aliisque conſtat, crediderunt peritonæum, ſive *interiorem abdominis membranam*, (cum caro muſculorum mollis ſive debilis ſit) vel ex ictu, vel retento diutius ſpiritu, vel

ſub

a) Lib. VII. cap. XXII. b) Lib. VII. cap. XVII.

ſub gravi faſce, vel ex ſaltu, clamoribus fortioribus, & apud mulieres etiam ex partu, aliisve ſimilibus cauſis violentis, cute exteriori integra, ruptam; per quam rupturam inteſtina, aut omentum, aut utraque ſimul, vel in inguen tantum, vel ipſum in ſcrotum deſcenderent, vel per umbilicum tranſirent, ibique indecore intumeſcerent: unde etiam factum eſſe exiſtimo, ut non ſolum veræ hæ herniæ, ſed etiam ſpuriæ multis gentibus, variis linguis, rupturæ nominatæ ſint, atque adhuc hodie ita nominentur. Ita enim Brittannis & Gallis *ruptures*, Germanis & Belgis, Brüche/ aut vocabulis idem indicantibus, inſigniuntur.

VII.

Speciatim verarum.

Interea tamen ÆGINETA iam agnovit, enterocelen & epiplocelen quoque dilatato ſive relaxato peritonæo oriri, præſertim in iis, quibus hæ partes ob quamcunque cauſſam debiles ſunt. a) Cum quo etiam conſentit Hieron. FABRICIVS ſupra iam laudatus. Recentiores vero plerique membranam illam abdominis interiorem his in herniis, non ruptam, ſed relaxatam nimisque tantum dilatatam eſſe, multis edocti obſervationibus ſtatuunt; ita, ut vi preſſis inteſtinis ac omento cedat, inprimis in diſpoſitis, quibus ſcilicet loca prolapſionis debilia ſunt, atque primo circa inguina, ubi in maſculis vaſa teſtium, per certos in muſculis abdominis hiatus, (quos ÆGINETA inanem laterum locum, b) recentiores *annulum muſculorum abdominis* appellant,) in femellis vero ligamenta uteri rotunda tranſeunt, relaxatis hiatuum horum oris, inſtar ſacci inteſtino vel omento infarcti, *intenta*, ut CELSVS loquitur, cutis indecora *intumeſcat*, atque herniam primo *incompletam* efformet. Deinde vero, ſi huic malo in maſculis mature non fertur auxilium, per peritonæi proceſſus usque in ſcrotum

a) Lib. VI. cap. LXV. b) ibidem.

tum saccus ille ab intestinis contentis sensim, modo tamen citius, modo tardius, extenditur, sive protenditur, atque ex inguinis hernia mox scroti hernia, hoc est, ex incompleta, completa concitatur, quæ subinde in enormem molem, ut variorum auctorum observationes testantur, a) distenditur, atque gravissimorum symptomatum sæpe caussa existit. Simili fere ratione *hernia cruralis* contingit, quando peritonæum, ubi vasa cruralia ex abdomine veniunt, prementibus intestinis cedit, & una cum eis, sub cutem extra abdomen expellitur. In *omphalocele* ab iisdem caussis peritonæum ad umbilicum in sacci formam protenditur, dilatatur, atque proserpentia intestina vel epiploon recipit; Hæc si magna vi & subito oriuntur cum doloribus, ÆGINETA ruptum peritonæum existimat; sin sensim oriatur, relaxatum illud arbitratur, atque cum eo haud sine ratione prorsus consentit Hier. FABRICIUS. Ex quibus apparet, herniarum proprie ita dictarum caussas multum convenire, atque in descensu aut procidentia vel intestini vel omenti, vel utriusque simul extra abdomen, consistere.

VIII.

Causæ spuriarum.

Herniarum vero spuriarum aliæ longe caussæ existunt: atque vel ipsi veteres hic agnoverunt, membranam illam abdominis interiorem, quam peritonæum hodie vulgo vocamus, neque ruptam, neque dilatatam esse: ideoque haud recte ad rupturas referri, atque non nisi improprie rupturas, *ruptures*, aut Brüche vocari posse, quia illa membrana rupta non est: dum *hydroceles* caussa sit collectio humoris, sive serosi ac perlucidi, sive feculenti ac turbidi, modo intra tunicam testis vaginalem, modo intra ptocessum peritonæi sive tunicam vasa testiculi cingentem; modo sub cute scroti, utplurimum tamen sub tunica vaginali. *Pneumato-*

a) MEEKREN observat. chirurg. pag. 362.

matoceles vero flatus ſive aer in ſcroto collectus. Sed *Sarcocele* cauſam agnoſcit vel morbidam teſticuli intumeſcentiam atque duritiem ſæpe ſcirrhoſam, vel excreſcentem in ſcroto carneam ſubſtantiam circa teſticulum. In *varicocele* venæ teſtium, aut ſcroti ultra modum tumidæ, cauſſam proximam huius mali conſtituunt: atque ex his diverſitatem herniarum proprie ſic dictarum & ſpuriarum, horumque a ſe invicem diſcrepantiam, ut & cauſas ſatis patere exiſtimo; quæ vero vario modo inter ſe mixtæ ſive complicatæ exiſtunt, quemadmodum apud chirurgicos ſcriptores pluribus videri poteſt.

IX.

Neque opus eſſe puto, ut in *diagnoſi* horum morborum deſcribenda lectorem diu detineam: dum partim ex ante dictis, partim ex aliis ſcriptoribus chirurgicis, & inprimis Clar. PRÆSIDIS chirurgia ſatis cognoſci & a ſe invicem diſcerni poſſunt. Ita prolixitatis evitandæ cauſa nec hic proponam quæ ad *prognoſin* eorum ſpectant, quia & hæc iam ſatis ab aliis dicta & ſcripta ſunt. **Diagnoſis & prognoſis,**

X.

Sed ad ea nunc venio excutienda, quorum cauſſa laborem hunc ſuſcepi: nimirum, ut *demonſtrem*, *curationem in multis ita dictis herniis*, præſertim vero in enterocele & epiplocele, i. e. in hernia, ubi vel inteſtinum vel omentum deſcendit, peſſimo atque perniciosiſſimo utplurimum conſilio per ſectionem inſtitui, atque propterea nefandum hunc abuſum non ſolum a Medicis & Chirurgis genuinis, verum & a magiſtratu quocunque abrogandum eſſe; cum eo ipſo multi his morbis laborantes, vel præmature, & præter omnem neceſſitatem, vitam amittant, ac re vera perniciosiſſimo atque haud excuſando hoc modo ab agyrtis & circumforaneis crudeliter interficiantur, principesque atque magiſtratus hoc ipſo magnam partem ſubdito- **Scopus diſſertationis abuſum ſectionis eſſe tollendum.**

ditorum amittant; vel quando ægri etiam evadant, dum in ſectione herniarum plerumque teſticulos reſecant, homines tam nobili atque utili parte privando, multos ad generationem vel ineptos, vel ſaltem minus idoneos reddant, eunuchos faciant, eosque in ipſa ſectione acerbiſſimis doloribus vitæque periculo exponant: ſicuti ex dicendis uberius patebit.

XI.

Examinandum ubi conducat vel nocat.

Antiquiſſima quidem, fateor, iam eſt hæc herniarum per inciſionem ſive ſectionem curatio, quia priſcos apud Medicos iam deſcripta reperitur: ut ex CELSO a) ÆGINETA b) aliisque videre eſt; quæ antiquitas etiam ei patrocinium parere videtur, ſuaque etiam laude, ſi debito modo, loco, & tempore adminiſtretur, non eſt defraudanda; verum potius commendanda atque extollenda, quia ſumme ſæpe neceſſaria eſt. Quoniam vero, ut iam notavimus, primo ſine vitæ periculo fieri non poteſt; deinde teſticuli, præſertim a vulgaribus illis circulatoribus atque circumforaneis, pueris atque iuvenibus enterocele laborantibus, ſani exſcinduntur, ita ut ad generationem poſtea vel inepti vel ſaltem minus idonei reddantur; præterea curatio hæc ægris ſummos dolores, unde convulſiones ſubinde oriuntur, creet; denique nec ſatis certa ſit, ſed morbus, licet ægri dolores ac periculum vitæ ſuſtinuerint, vicerint, teſticulumque ea ipſa perdiderint, ſæpe poſtea redeat, ac tandem, quod caput rei eſt, longe blandiori, iucundiori, tutiorique ratione, ſine ſcalpello aut ſectione, ſine doloribus atque ſine vitæ periculo curari poſſint, proſpiciendum examinandumque probe eſt, quibus in caſibus neceſſaria ſit, atque admittenda; quibus vero inutilis, noxia ac reiicienda, ut pernicioſiſſimus illius abuſus, generi humano atque reipubli-

a) Lib. VII. cap. 19. 20. 21. 22. 23. 24.
b) Lib. VI. cap. 62. 63. 64. 65. 66.

publicæ adeo funeſtus, ex cultiori atque elegantiori medicina exterminetur, imo & e republica relegetur.

XII.

Inter omnes vero hernias ea eſt frequentiſſima, quæ ex inteſtino in ſcrotum devoluto, quæque *enterocele*, hernia *inteſtinalis* vulgo, itemque *oſcheocele* ſive *hernia ſcrotalis* a) appellatur, oritur. Generalis quidem vox eſt, & commune nomen hernia ſcrotalis, omnemque in ſcroto contingentem herniam indicare poteſt: quoniam tamen ea, quæ ex inteſtinorum in ſcrotum prolapſione generatur, ſæpiſſime hic obſervatur, merito etiam & κατ' ἐξοχὴν ſub herniæ ſcrotalis nomine *entrocele* ſive *inteſtinalis* intelligitur, dum omnium, quotquot ſunt herniarum, vulgatiſſima atque frequentiſſima eſt. Incidit enim hæc inteſtinorum hernia ſæpiſſime in infantibus, pueris & iuuenibus, ſive adoleſcentibus, ita, ut decem citius pueros vel iuuenes hac hernia laborare deprehendes, quam unum virum aut ſenem. Et ſi qui etiam viri aut ſenes ea affecti inveniantur, utplurimum adhuc a iuventute malum fovent; quando vel debitum auxilium ſive apta medela non fuit adhibita; vel morbus pudore intempeſtivo, vel curatione inepta (dum multi hos morbos rite tractare & curare neſciunt) vel culpa ægri quacunque neglectus fuit.

enterocele primum conſideranda.

 XIII.

a) BLANCARDVS in Lexico ſuo Medico, quemadmodum multa, ita & *herniam ſcrotalem* male deſcribit, dum ait: *herniam ſcrotalem* eſſe, *quando teſticuli a venere nimium excrevere*, eamque cum *hernia veneris* (ita enim nonnulli teſticulorum tumores venereos appellant) unam eandemque rem eſſe: cum tamen hernia *ſcrotalis* ſive *oſcheocele*, inteſtini in ſcrotum prolapſum, hoc eſt, entrocelen proprie ſignificet, quia hæ inteſtinorum herniæ in ſcroto ſunt omnium frequentiſſimæ.

XIII.

In iunioribus ſine ſectione curari poteſt.

Nam ſi in infantibus, pueris, vel iuvenibus debita medela, atque *cumprimis idonea vinctura* ſive *faſcia* cum regimine & victu convenienti in tempore adhibetur, hi ſane omnes ſine ſcalpello ſanari poſſunt. E contrario quando hi morbi per longas invaluere moras, longe difficilius curatio per faſcias ſuccedit. Attamen ſi modo ægri adhuc ſunt iuvenes, animus non mox deſpondendus eſt, præſertim ſi adhuc creſcunt, & eorum corpora nondum ad ἀκμὴν ſive perfectum magnitudinis ſtatum pervenerunt, licet iam diu duraverit morbus, tamen adhuc ſæpiſſime ſine ſcalpello curantur. Imo, quemadmodum Clar. PRÆSES mihi retulit, ipſe plures adultos & ſpeciatim ſtudioſos ſanavit, qui vigeſimum imo nonnullos, qui iam vigeſimum quintum ætatis annum ſuperarunt, morbusque iam per longum tempus imo per aliquot annos duraverat.

XIV.

attamen ſectioni ſubmittebantur.

Ita ægri tamen, antequam noſtris temporibus Medici manum operi admoverent, morbosque chirurgicos diligentius, quam patrum noſtrorum memoria factum eſt, excoluerunt, atque chirurgi plerique horum morborum curationem adhuc ignorarent, circumforaneis tantum & agyrtis curandi committebantur; qui vero vel ex ignorantia melioris methodi, vel ex inhoneſta lucri cupiditate plerumque mox curam per ſcalpellum propoſuerunt, atque etiam, cum ægris, parentibus, amicis, imo Medicis plerisque & chirurgis alia curandi ratio probe perſpecta non eſſet, ægros crudeli ſectioni cum caſtratione ſive teſticuli exſtirpatione ſubmiſerunt: qua vero non ſolum ſævis doloribus & cruciatibus eos affecerunt; verum etiam multos præter neceſſitatem, cum tuta methodo curari potuiſſent, ut ſæpius iam dictum eſt, nefario modo trucidarunt, atque adhuc

huc hodie hinc inde nonnullos clam palamque interficiunt.

XV.

Veteres quoque ſectionem magni feciſſe, eamque ſic ad noſtra usque tempora propagaſſe, ex monumentis eorum haud obſcure colligitur: nam primo ÆGINETA, ubi de curatione enteroceles agit, a) nihil prorſus dicit de curatione, quæ per vincturam aut faſcias fit; ſed ſolum de ea, quæ ſcalpello peragitur: adeoque forte etiam multi, qui hunc doctorem ſecuti ſunt, mox ad ſectionem his in morbis progreſſi ſunt, quando aliam neſciverunt. CELSVS vero cautius egit, quando elegantiſſime ita de hac cura ſcribit: b) *ſi cui parvulo puero inteſtinum deſcendit, ante ſcalpellum experienda vinctura eſt*, atque etiam hanc vincturam ſequenti modo deſcribit. *Faſcia eius rei cauſa ſit, cui uno loco pila aſſuta eſt, ex panniculis facta, quæ ad repellendum inteſtinum ipſi ſubjicitur; deinde reliqua faſciæ pars arcte circumdatur, ſub quo ſæpe & intus compellitur inteſtinum & inter ſe tunicæ glutinantur.* Attamen egregius alias CELSVS, licet vincturam prius tentandam ſive experiendam eſſe velit, atque etiam præſtantiſſimam faſciam, quæ, ut D. PRÆSES mihi aſſeveravit, in parvulis pueris egregie ſuccedit; tamen ſi, ut ipſe loquitur, *ætas proceſſit*, id eſt, ſi ægri adultiores ſunt, aut hernia maior, nullum quoque aliud proponit remedium, quam ſectionem, vincturamque nonniſi in parvulis pueris ſuccedere exiſtimat. Id quod temporibus illis, quibus vixit, condonandum; minime vero hodie. Interea tamen *Fabr. ab* AQVAPENDENTE quoque adhuc ſuſtinet, *curationem ſine ſectione non niſi in rupturis parvis, recentibus* & in *pueris ſuccedere;* in *aliis ferramentis candentibus vel ſectione curandum eſſe.* c)

quod Veteres etiam fecerunt.

a) Lib. VI. cap. 65. b) Lib. VII. cap. 20.
c) Lib. de tumoribus Cap. XXIII.

XVI.

agyrtæ quare meliorem modum non eligant.

Nonnulli quidem circulatorum meliorem quoque utcunque callent sanandi methodum: quam quæ per scalpellum fit: eam nimirum, quæ vinctura & fasciis perficitur; Verum quemadmodum Clariss. PRÆSES iam in chirurgia sua retulit, a) ob detestandam auri famem, tutiorem & securiorem, quæ fasciis obtineri potest, eligere aut adhibere nolunt. Nam cum aliquando, tum Altorfii adhuc erat, talem Kelotomum, qui nuperrime in puero, sex circiter annos nato, herniæ non usque adeo periculosæ sectionem castrationis beneficio tentaverat, interrogasset, quare periculosam adeo curationem per scalpellum in puerulo hoc instituisset? & cur non fascia potius idonea ipsum curasset, quum omne istud malum in tenera hac ætate per vincturam tolli satis commode potuisset? Tum agyrta ingenue confitebatur, se majoris lucri ergo, quia vivendum inde ipsi esset, victusque & amictus ea comparandus, hoc fecisse, & alias etiam facere. Fasciam enim a parentibus vel ægris vix unico numo unciali; sectionem vero decem, viginti & pluribus interdum redimi. Sed istiusmodi circumferaneorum mores valde iniqui, atque adeo impii sunt: siquidem ægrorum saluti pessime sic consulitur: & non de corio, sed de vita humana luditur, quod ipsum paulo post in misero quodam rustico hernia laborante circulator ille luculenter satis demonstravit; utpote quem solemni isthoc suo incidendi artificio in pago vicino paucis post diebus crudelissime interfecit.

XVII.

plures adhuc committunt fraudes.

Plures vero adhuc in curationis herniarum negotio ab empyricis hodiernis inhonesti lucri caussa committuntur fraudes. Ita enim, ut Clar. PRÆSES mihi retulit, aliquot abhinc annis in pago Helmstadio vicino, cui Emmer-

a) In introduct. n. 21.

merstæd nomen est, circumforaneus erat, qui hospitis illius loci filiolum, duos quasi annos natum, incisione ab hernia ut perhibebat, liberare voluerat, parentibusque filiolum hernia laborare, atque aliter sanari non posse, persuaserat, ac de sostro etiam jam inter se convenerat. PRÆSES vero nonnullorum suasu a parentibus rogatus, ut curationi hujus Kelotomi (quam *operationem* vulgo appellant) die sequenti, qui ei destinatus erat, assisteret, venit etiam ad locum constitutum una cum aliquot Medicinæ studiosis, & quidem paullo ante, quam circumforaneus: atque examinando puerulum præsentibus philiatris, nullam in eo herniam, sed puerulum in partibus herniis alias afflictis, sanissimum deprehendit, nullumque ibi vitium adesse parentibus aliisque adstantibus exponit. Quæ cum agerentur, circulator alto supercilio supervenit sectionem aggressurus. Verum cum D. PRÆSES nullam herniam in parvulo hoc adesse affirmaret, scrotumque & inguina sana omnia ostenderet, atque ut agyrta herniam aliudve, si posset, vitium ostenderet, ab ipso rogasset, nihil noxii demonstrare potuit; hinc risu adstantium parentumque indignatione exceptus, indignabundus se subduxit: puerulus vero, qui, ni fallor, adhuc sanus vivit, a doloribus, qui ipsi perferendi fuissent, imo a vitæ periculo, hoc modo liberatus est.

XVIII.

Præterea circulatores nonnulli ægris, parentibus aut amicis ægrorum enterocele laborantium persuadere satagunt, siquidem ægri mitiorem, quam quæ scalpello fit, curationem postulant, qualis est, quæ vinctura peragitur, hanc curationem non valere, eam non tutam aut efficacem, multo minus certam esse, aiunt, atque ut magnam pecuniæ vim ægris extorqueant, non nisi sectionem horum morborum idoneum ac certum esse remedium clamitant, eamque haud periculosam esse perhibent: quæ tamen omnia falsa atque

Sine sectione ægros recte curari non posse perhibent.

turpis

turpis & inhonesti lucri caussa ab ipsis conficta sunt. Deinde etiam ægris aut amicis non indicant, quod testiculum exscindant; verum hoc silent, ægrosque ita clam testiculis privant. Quod si multi antea scivissent, nunquam curationi huic vel se vel liberos suos submisissent.

XIX.

temeritas quorundam indicatur.

Alii istiusmodi hominum tam audaces atque temerarii sunt, & in curatione horum morborum tam stulte ac proterve procedunt, ut sane temeritas atque simul stultitia eorum satis mirari nequeat. Exempli loco sit, quod PRÆSES superiori hyeme, cum in Principatu Barutino ægrorum caussa degeret, observavit. Erat ibi in pago quodam, quem Nobiles *de Schirnding* possident, eiusmodi agyrta, qui sartorem hernia scroti ibidem laborantem, sectione curandum susceperat: cumque rem totam absolvisset, vulnusque obligasset, gloriabundus exclamavit, se hanc curationem melius callere, quam omnes alios. In aliorum curatione ægris victus regimen esse observandum; suis vero ægris quam minime: poculumque spiritu vini repletum ægro propinat, iubetque, ut æger responderet, idemque faceret. Hic vero circumspectus magis, & prudentior ipso thrasone herniotomo, hoc adeo noxium in hoc statu potus genus recusavit, bibereque noluit. Ille vero ut in salutem ipsius biberet, poculumque spiritu vini repletum ingurgitaret, instat, temere asseverando ac promittendo, nihil quicquam mali sibi inde esse metuendum. Aeger igitur gloriabundis pollicitationibus & minis Kelotomi hujus coactus spiritum illum bibit, poculumque exhaurit; verum subsequenti die infelix hic æger misere moriebatur, nebuloque ille ac thraso pessimus se mox subducebat.

XX.

Scopus curationis.

Plura de temeritate, fraudibus & imposturis circulatorum, nisi brevitati studerem, commemorare possem, quapropter

propter pergam ad curationem, quam ſcalpello ſive ſectione in enterocele vulgo perficere ſolent: quæ, ut ſupra iam diximus, vulgo Kelotomia ſive herniotomia vocatur, exponendam. Antequam vero hoc faciam, *ſcopus* ſive *intentio hos morbos curandi* paucis prius indicanda: quæ eſt, ut primo inteſtinum, per hiatus muſculorum abdominis & proceſſus peritonæi in ſcrotum devolutum, per eandem, qua venit, viam, retro compellatur in abdomen. Deinde, ut hoc inteſtinum in abdomine, tanquam loco eius naturali, detineatur & ne denuo prolabi poſſit, impediatur. Intus quidem compellitur inteſtinum in herniis eiusmodi bonæ indolis, id eſt, quæ non incarceratæ ſunt, ſatis facile. Quo facilius vero hoc fit, eo facilius etiam denuo relabitur, atque eo difficilius utplurimum intus retinetur; verum leviſſimam ob cauſſam, etiam ſolo eoque leni inceſſu vel motu, tuſſi, clamore, mox denuo in ſcrotum deſcendit.

XXI.

Vt vero deſcenſus hic adeo facilis impediatur, qua in re præcipuum momentum, imo cardo curationis conſiſtit, duas vias ſive methodos excogitarunt Medici: altera, eaque blandior & *iucundior eſt vinctura*, ſive ea curatio, quæ fit per faſciam, vinculum, ligaturam, ligamentum, ſive ſubligaculum, quale noſtri vulgo ein Bruch-Band/ Galli *un Brayer*, SCVLTETVS etiam vocabulo barbaro *brachierium* appellant: qualia hodie tam apta & commoda inventa ſunt, ut eorum ope in plerisque ægris, ſi rite applicantur arcteque circumdantur, non ſolum prohibetur, ne inteſtinum deſcendat; verum etiam, ſi diu ſatis geſtantur, in plurimis, & inprimis in pueris atque adoleſcentibus omnibus efficitur, ut ſimul tunicæ dilatatæ vel ruptæ denuo inter ſe glutinentur, muſculorum hiatus ſive locus deſcenſus roboretur, obfirmetur, conſolidetur & in integrum reſtituatur, ita, ut inteſtinum poſtea non amplius per illam viam in ſcro-

Obtineri poteſt vel faſciis.

ſcrotum devolvatur, ſed perfecta hoc modo curatio obtineatur. Hæcque curatio fit ſine dolore, ſine periculoſa aut crudeli ſectione, vel uſtione, ſine caſtratione aut teſticulorum iactura, & quod præcipuum caputque rei eſt, ſine vitæ periculo; quique hac ratione rite curati ſunt, maximam partem nihil poſtea mali ſentiunt: tam bene valent, ac ſi nunquam ægri fuiſſent, atque tam perfecte ſanantur, ut poſtea omnes motus ac labores perficiant & perferant, equis etiam curruque vehantur, ut alii ſani, atque ſic, quicquid herniotomi illi oggannant, perfectiſſimam conſtantiſſimamque faſciarum beneficio recuperant ſanitatem: hancque etiam methodum veteres nonnulli, ut ex CELSO videre eſt, a) prius commendarunt, antequam ad vehementiorem procederent; quod vero ſalutare conſilium circulatores noſtri utplurimum negligunt, ſequique recuſant.

XXII.

Vel ſectione.

Cum vero vinctura & faſciis non ſemper deſideratum finem ſive ſcopum obtinere potuerint Medici, præſertim in malo veteri, vel alias graviori, & cumprimis antequam tam idonea vincula, quibus hodie gaudemus, inventa fuerunt, alteram viam ſive methodum, qua inteſtini prolapſionem inhiberent, excogitarunt, *quæ ſectione perficitur*, adeoque priori crudeliorem & dolorificam magis: quæ generatim in eo conſiſtit, ut ſcalpello in inguine (diſſectis tegumentis) locum procidentiæ, una cum ita dicto proceſſu peritonæi, per quem inteſtinum ad ſcrotum dilabitur, detegerent, eum a vicinis ſepararent, filo forti circumdarent, vehementer conſtringerent, teſticulum e ſcroto evellerent, ſub ligatura reſecarent, atque poſtea vulnus conſolidarent, ne inteſtinum aut omentum deſcendere denuo poſſit.

XXIII.

a) Lib. VII. cap. XX.

XXIII.

Hoc autem vario tentarunt modo: alium enim tradit CELSVS a) veterum scriptorum chirurgicorum facile princeps; alium vero PAVLLVS, eumque longe clarius describit: b) quemadmodum apud ipsos legi potest. Quia vero cum huius curandi ratione omnium maxime hodierni nostri conveniunt circumforanei; hinc, prout hi curationem hanc plerumque perficere solent, iam proponam. Quae vario fit modo.

XXIV.

Ægrum, sive puer sit, sive adultus, resupinato corpore, mensae vel tabulae imponunt, ita ut caput paulo declivius sit ventre, eumque vel tabulae alligant, quemadmodum ex SCVLTETO c) cognosci potest; vel iubent, ut caput, brachia, pectus & pedes ab aliquot hominibus robustis probe firmentur, ne ullo modo se commovere queat. Deinde si inguen aut scrotum pube iam conteguntur, ante radenda sunt. Postea intestinum in abdomen compellunt, (nisi hoc iam antea sponte, ut quandoque fit, factum sit) manuque famuli locum prolapsionis comprimendum curant, ne in sectione prolabantur & laedantur. Post haec inguen & partem supremam scroti scalpello recto, aut falcato, vel etiam novacula incidunt, donec ad processus peritonaei, sive ad membranam, quae vasa spermatica includit, perveniant, plaga tres quatuorve transversos digitos longa. His peractis, processum hunc una cum vasis spermaticis & testiculo digitis a partibus, quibus adhaerent, separant, atque e scroto a membranis, quibus vehementer nectitur, magna saepe vi avellunt, atque extrahunt; quod dum faciunt, aegri saevissimos dolores, ob nervos lacerandos, persentiscunt. Testiculo sic educto, processum peritonaei cum vasis con- Modus usitatissimus.

 ten-

a) Lib. VII. cap. XIX. & XX. b) Lib. VI. cap. LXV.
c) Armamentar. chirurg. edit. in 4. Tab. 38.

tentis attrahunt, ſive a ventre retrahunt, curantque ut filo craſſo & robuſto aliquoties circumducto, vel ex lino vel ſerico parato, iuxta locum procidentiæ, quem annulum muſculorum abdominis hodie adpellant, a miniſtro fortiter conſtringatur: quo ipſo ſimul vaſa ſpermatica & vas deferens teſticuli, quod veteres nervum dixere, conſtringunt, ne reſecto teſticulo ſanguinem profundant, quam ob cauſam infra priorem ligaturam nonnulli alteram adhuc eamque eodem modo circumducunt.

XXV.

Alii adhuc modi.

ÆGINETA ſola ligatura non eſt contentus, a) ſed acu ſimul magna, filum craſſum duplicatum ducente, extremitatem proceſſus peritonæi ſupremam in medio tranſigit, ſectaque anſa quatuor principia facit, atque his ex utraque parte, ſingulari modo proceſſum peritonæi vehementer conſtringit, ſpatioque pollicis a priori adhuc alterum vinculum iniicit; id quod etiam alios adhuc facere ex SCVLTETO conſtat. b) Vinculo itaque ſive ſimplici ſive duplici iniecto, teſticulum ad digitum circiter transverſum infra illud præſcindunt, hocque tam circumſpecte & celeriter plerumque circulatores perficere norunt, ut adſtantes, præſertim harum rerum ignari, teſticulum auferri haud obſervent. Poſt hæc vulnus linamentis implent, emplaſtrum & ſplenia imponunt, hæc omnia faſcia firmant, atque deinde ægrum in lectum reponunt. Itali quoque Kelotomi (in Italia *Nurſini* dicti) ſola horum vaſorum ligatura non ſunt contenti; ſed, ut ex *Fabric.* ab AQVAPENDENTE c) ac SCVLTETO d) patet, ligatura facta, teſticuloque reſecto, vaſa ſpermatica, ferro candente inurunt, atque omnia conſuunt; quæ vero methodus adhuc longe eſt crudelior.

XXVI.

a) vid. lib. VI. cap. LXV.
b) Armament. chirurg. edit. in 4. Tab. XXXIX.
c) Lib. de tumoribus cap. XXV.
d) Armament. chirurg. edit. in fol. pag. 56.

XXVI.

Sequentibus diebus noſtrates herniotomi vulnus quotidie ſemel vel bis detegunt, ac oleum hyperici vel ovorum cum linamentis recentibus immittunt: & poſtquam fila, pure facto, deciderunt, quod ſex vel ſeptem diebus fere fieri ſolet, iisdem medicamentis, & tandem linamentis aridis vulnus ad cicatricem perducunt: atque ſic tota curatio, ſi æger, ut ſæpe fit, non moritur, abſoluta eſt. Vulneris curatio.

XXVII.

Interea illi circulatores, qui præ ceteris ſapiunt, (nam non omnes æque ignari aut temerarii ſunt) ægros poſt ſectionem per decem aut plures dies, pro ſymptomatum, roboris ægri, aliarumque rerum varietate, in lecto iubent conquieſcere, ceteraque & in curatione & in victu ſimilia his eſſe præcipiunt, quæ in aliis gravioribus vulneribus obſervari debent. Alii vero minus ſapientes, magis vero temerarii, quemadmodum bene multi ſunt eorum, victus rationem in his curationibus vel prorſus negligunt; qualem inter alios etiam fuiſſe ferunt celebrem quondam illum Monachum lithotomum & kelotomum, Iacobum, Gallum, *Frere Iacques* vulgo dictum: a) vel incongrua maxime & noxia ægris concedunt, imo propinant, ſicuti fecit ſceleratus ille, cuius temeritatem in hoc negotio ſupra (N. XIX) retulimus; vel ex ignorantia, dum artem, quam exercent, nunquam rite didicerunt, quid ordinandum, quid ſuadendum, quid diſſuadendum, quidve faciendum aut fugiendum ſit, neſciunt: hinc fit, ut multi horum ægrorum, victus regimine neglecto, febribus vulnerariis, nervorum diſtenſionibus ſive convulſionibus, hæmorrhagiis, inflammatio- Regimen empirici negligunt.

a) vid. MERY obſervationes ſur la maniere de tailler pratiquée par Frere Iacques, & DIONIS chirurgie cap. de lithotomia, itemque Clar. PRÆSIDIS chirurgia cap. de methodo calculum excidendi Fratris Iacobi.

tionibus, gangræna, aliisve malis corripiantur, inprimis si circumforaneus rudiori modo vel in sectione egit, vel in testiculo evellendo, vel in vinculo constringendo: sique etiam non pauci, ut fit, robore naturæ hæc omnia superant, vitæque pericula effugiunt, facile tamen & sæpe etiam, (ut supra iam (N. XI) innuimus, itemque CYPRIANI, Medici & Chirurgi quondam in Belgio Magnaque Britannia celeberrimi, a) ipsiusque PRÆSIDIS experientia constat) hernia redit, inprimis si magna fuit, & caro mollis. Nam membranam peritonæi vinculo constrictam, ubi musculi abdominis natura debiles sive molles sunt, intestinis prementibus denuo vel elongari vel rumpi posse, iisdem vel similibus caussis, ut antea, præsertim si nullæ aliæ curationis cautelæ, quam ab illis plerumque fit, adhibeantur, non est cur dubitemus. Idem etiam sentire videtur CELSVS, quando ait: b) *Si multa intestina prolapsa sunt, secari supervacuum est: non quo excludi a scroto non possint, sed quo repulsa inguinibus immorentur, ibique tumorem excitent, atque ita fiat mali non finis, sed mutatio.* Nam fit sic sæpe post curationem, quæ sectione peragitur, ex hernia scrotali inguinalis, quæ, ut CELSVS rectissime ait, mali non est finis, sed tantum mutatio.

XXVIII.

Vnde sectionis abusus ostenditur.

Cum itaque curatio herniæ intestinorum per scalpellum atque evulsionem & exstirpationem testiculi primo semper sit summe dolorifica, ut ægris convulsiones, febres inflammationes, gangræna, pessimaque alia symptomata his ipsis sæpe inferantur: deinde hac curatione, si qui etiam evadunt, (nam nullus herniotomus de vita curandi certe spondere potest,) testiculo tamen, parte ad generationem, matrimonium & subditos Principi augendos, adeo utili atque neces-

a) Epist. de fœtu exciso, p. 87. b) Lib. VII. cap. XX.

necessaria priventur; præterea sanatio sæpius non sit perfecta, constans, & firma: cum haud raro post sectionem hernia, ut antea docuimus, brevi redeat; denique multi hac curatione præmature moriantur, aut ut rectius dicam, imprudenti ac sæpe scelerato modo interficiantur: infantes vero contra pueri, iuvenesque fere omnes, adultorum vero plurimi per idonea vincula & remedia tuta, blanda ac secura curari queant; in annosioribus autem vel senibus, licet vinculis quandoque sanari non possit, tamen intestini procidentia & in scrotum devolutio iis plerumque præcaveri, avertique potest, sic, ut vinculorum beneficio plerique negotiis suis, præsertim si a fortioribus motibus se contineant, fungi, sani ceteroquin vivere, atque levi hoc incommodo ad magnam senectutem pervenire queant, sicut multa horum exempla evincunt.

XXIX.

Quæ cum ita sint, neminem profecto, qui sapit, & cui vita salusque humana, imo & incrementum subditorum ac Reipublicæ curæ cordique est, esse opinor, qui non intelligat Kelotomos illos vulgares, dum promiscue infantes, pueros, iuvenes atque viros sectioni submittunt, hac curatione in detrimentum generis humani valde abuti, quique propterea non optet, ut abusio illa Reipublicæ adeo noxia, cultiorique Medicinæ adeo ignominiosa, tollatur, atque e sana & rationali Medicina non modo, sed etiam ex omni Republica bene constituta, quæ errores populares corrigere & emendare gestit, relegetur atque eiiciatur. Eiusque abrogatio evincitur.

XXX.

Non possum propterea non laudare saluberrimum hac in re fœderatorum ordinum Hollandiæ institutum: qui, ut certe mihi relatum est, sub *pœna fustigationis* publicæ, ne circumforaneorum quis ipsorum in terris sine consilio, consensu & præsentia duorum Medicorum atque chi- Est sub gravi pœna interdicenda.

chirurgorum, hernia laborantem secet, & præter necessitatem vel testiculo facultateque generandi, vel ipsa prorsus vita privet: hoc enim modo in Belgio & ubi ita constitutum est, multis vita & adhuc pluribus testiculi servantur. Adeoque serio optandum, quia pium & iustum est, ut & alii Principes vel Respublicæ, ubi salutares hæ leges nondum institutæ sunt, in salutem Reipublicæ generisque humani instituantur,&ut a magistratibus in urbibus ubiqueprobe observentur: & quidem, si mihi hac in re aliquid proponere licet, æquum esset, ut ille circumforaneus, qui levi hernia laborantem sine consensu Medicorum constitutorum secat, atque testiculo privat, licet æger vivus evadat, ob demtum maximis doloribus testiculum, vitæque periculum ægro illatum, pœna *castrationis* aut fustigationis; sin vero moriatur, atque sic circumforaneus caussa huius mortis fuit, pœna capitis, quemadmodum in aliis temerariis homicidiis, afficiatur; ita enim temeritas horum hominum, qui non nisi in perniciem ac detrimentum Reipublicæ generisque humani artem, quam neque norunt, neque rite didicerunt, exercent, facile reprimeretur.

XXXI.

quando concedenda.

Ne quis vero existimet, nos omnem herniarum per scalpellum curationem promiscue reiicere, docebimus iam in quibus herniis concedi possit a Medico, & deinde in quibus absolute sæpius necessaria sit. Præ omnibus vero, quamvis SCVLTETVS voluerit a) *Medicum nunquam crudeli castrationi subscribere debere, nisi hernia fuerit sarcocele*, nosque etiam velimus, ut hernia intestini vel omenti in pueris aut iuvenibus, ubi prolapsa corpora retro compelli possunt, nunquam scalpello curetur, aut sectio instituatur; concedi tamen hæc per scalpellum vel sectionem curatio potest, primo in adultis, præsertim in virili ætate, *ubi intestina*

a) Armamentor chirurg. edit. Ann. 1666. in 4. pag. 82.

ſtina nullo vinculo coerceri atque in abdomine retineri posſunt : & quandoque aut ſæpius periculoſa ſymptomata ac dolores inciderent, quæ vitæ periculum facile inducere apta nata ſunt; licet incertum ſit, ut ſupra (N. XXVII) poſui, an magna talis hernia perfecte hoc modo curetur, & forte tantum ſcrotalis ſectione in inguinalem, ut ſæpius fit, mutetur. Deinde concedi poteſt *in pauperibus*, *qui duris laboribus ſe ſuſtentare coguntur* : quique, licet deſcenſus inteſtini vinculo impediri poſſit, ſi quieti ſunt, tamen ſemper prolapſionem paterentur novam, ſi laboribus, quibus ſibi, uxori atque liberis victum quærere adſtringuntur, corpus defatigant; ubi vero ſemper prudenti modo atque convenienti victus ratione inſtitui debet, ut tanto certius ſanentur curandi, eisque antea indicandum, quod hac in curatione teſticuli fiat iactura; ne poſtea ſibi impoſitum fuiſſe cum indignatione videant, atque ſerius diſcant. Præterea quia *Monachi* etiam ſæpius hernia inteſtinorum laborare deprehenduntur, facilius ſectionem Medicus in his concedere poteſt, quam in aliis, ſi aliqua neceſſitas hoc exigat; quia his teſticuli maiori ſæpe ſunt incommodo quam utilitati: id quod & ſentiendum de iis, qui matrimonium inire recuſant, atque procreationi liberorum haud ſtudent; quia etiam his iactura teſticuli minus incommodum infert. Denique ſectio concedi poteſt *in hernia aquoſa*, ubi liquores collecti medicamentis diſcuti nequeunt: ubi tamen teſticulo, ſi ſanus eſt, parcendum. e contrario, ubi corruptus eſt aut putridus, ſecundum conſuetam in enterocele methodum reſecandus. Porro conſentire Medicus in ſectionem poteſt, ſi *inteſtinum reponi non poſſet*, atque in ſcroto accretum eſſet: quia tunc metuendum ileum ſive *miſerere*, ut hoc modo ægros ab imminenti mortis periculo liberemus. Sed accuratum chirurgum requirit, & non facile ab agyrta, licet in vulgari enterocele

D ſecan-

ſecanda ſit exercitatiſſimus, perfici poterit: quia alia quam vulgari ratione hic procedendum, dum inteſtinum, cautiſſime, ubi adhæret, ſeparandum.

XXXII.

Quando neceſſaria. Neceſſaria vero eſt herniæ curatio per ſcalpellum primo *in hernia incarcerata*, ſive inteſtinum hæreat tantum in inguine, ſive in ſcroto, i. e. ſive hernia ſit completa vel incompleta; ſive ſit bubonocele, ſive oſcheocele; ubi inteſtina incluſa medicamentis & manibus reponi nequeunt, atque ſymptomata adſint iliacæ paſſionis, dolores nimirum acerbiſſimi & vomitus, quæ vitæ periculum facile inducunt. Tentanda vero prius, quia ſectio eſt periculoſiſſima, ſunt remedia efficaciſſima, cataplaſmata emollientia, clyſmata acria ſalſa, fumus nicotianæ per anum impulſus, aliaque a PRÆSIDE in chirurgia ſua aliisque bonis Medicis laudata: debetque etiam fieri hæc curatio non methodo illa, qua circumforanei vulgaresve herniotomi in vulgaribus herniis utuntur; quippe qua inteſtina lædendo ægros hic interficerent. Quam ob cauſſam etiam veteres, quia nulla alia quam vulgaris per ſcalpellum in hoc morbo curandi ratio ipſis perſpecta erat, nullius, quam quæ medicamentis & manibus tentatur, mentionem fecerunt; aut morbum hunc prorſus inſanabilem, *ubi ſcalpellum ſine pernicie* (id eſt ſine ſummo vitæ periculo) *adhiberi non poſſet*, iudicarunt: quemadmodum ex CELSO atque ÆGINETA, locis ſæpius citatis, videri poteſt. Verum alia prorſus ſecandi inteſtinumque in abdomen reponendi methodus hic requiritur, veteribus incognita; quæ autem difficilior longe eſt priori, atque Medicum in anatome peritiſſimum manumque leviſſimam poſtulat: quia facillime inteſtinum prolapſum lædi atque ſic mors ægro induci poteſt: quam vero hic non exſcribemus, ſed lectorem potius ad recentiſſimos ſcriptores chirurgicos, & inprimis ad D. PRÆSIDIS & GARENGEOTI

GEOTI chirurgiam, ubi de his morbis accuratius, quam ab aliis factum eſt, agitur, ablegamus. Ita & in *ſarcocele*, inveterata, quia teſticulus deſtructus & nihil quicquam amplius ad generationem confert, omnibusque indecore, quibusdam etiam cum dolore dependet; itemque in *varicocele* peioris indolis, quæ gravia ſymptoma minitatur, aut re ipſa iam inducit: atque denique in *hydrocele*, ubi teſticulus ſimul putridus, ſcirrho induratus, aut alia ratione corruptus eſt, ſi maiora inde metuenda mala in tempore avertere volumus, nulla alia medela, quam curatio per ſcalpellum, cum vitioſi teſticuli iactura, locum habet. ubi itaque Medicus propterea conſentire debet, quia nullam aliud remedium ſupereſt, quod ægrum a gravioribus ſymptomatibus aut morte ipſa liberare valeat; cum ea mala faſciis aliisve remediis hactenus notis tolli nequeant. Caute tamen & hic procedat chirurgus, non temerarie non rudi modo, ut plerique circulatorum ſolent; ſed blande, quantum fieri poteſt, agat, præſertim in teſticuli ex ſcroto ſeparatione, vaſisque teſtium ligandis ac conſtringendis, postea-que convenientem victum præſcribat, ut gravia ſymptomata hoc ipſo avertat, & ægrum tanto certius reſtituat: aut ſi ob mali gravitatem forte reſtitui non potuerit, culpa mortis ipſi iure deferri nequeat. Si vero ægri ab hernia inteſtini inveterata ſectione curati ſunt, poſtea, ne malum facile redeat, vinculo idoneo ſe muniant, motusque fortiores diu evitent, Medicus proſpiciat.

XXXIII.

Obiicere quidem poſſunt & ſolent circumforanei, *alias nonnullas curationes chirurgicas quoque periculoſas eſſe*, multosque ægros inde mori, ut lithotomiam, cancri mammæ artuumque amputationes, calvariæ perforationem, anevryſmatum curationes, imo ipſas hernias incarceratas; pro- Obiectio I. circumforaneorum.

propterea vero prudentes Medicos & chirurgos ob periculum illas generosas curationes nullo modo intermittere, ideoque nec hanc intermittendam esse. Huic vero obiectioni respondeo, graviores & periculosiores illas *operationes* chirurgicas tunc quoque intermittendas esse, quando alia blandiori tutiorique methodo morbum tollere possumus. Cum vero æger calculo vesicæ verbi gratia laborans, alia quam per scalpellum ratione a calculo, vehementissimo illo tortore, liberari sæpe nequeat, ne ægrum sævissimis doloribus, certæque tandem neci reliquamus, curatio tamen per scalpellum, licet ardua summe sit, atque omnium reliquarum longe periculosissima, est instituenda. Idem sentiendum de mamma cancrosa, hernia incarcerata, sphacelo artuum, ac periculosioribus anevrysmatibus, aliisque gravioribus malis, quæ tutiori modo sanare non possumus. In herniis vero intestinorum vulgaribus aut levioribus, quæ incarceratæ aut accretæ non sunt, rem aliter longe esse constitutum, blandioresque ac securiores curationes locum habere, supra satis docuimus.

XXXIV.

II. testem resectum sterilitatem non inducere obiiciunt.

Deinde, ut speciem quandam curationis sive rei bene gestæ, dum testiculum in herniæ per scalpellum curatione abscindunt, ostendant, hoc tantum damnum non inferre sexui virili, quam a nonnullis credatur, aiunt; cum constet, altero testiculo exsecto, si alter modo sit sanus, *homines propterea non fieri impotentes sive steriles:* quia multi essent, qui amisso licet testiculorum altero, liberos altero relicto & quidem plurimos, eosque etiam utriusque sexus progeneraverint: imo non nullos unico testiculo tam vegetos esse observatos atque salaces, ut una uxore non contenti, sed & alias meretriculas singulis fere annis impraegnaverint; quemadmodum exempla eiusmodi ipsi

PRÆ-

PRÆSIDI, ut & mihi nota ſunt, unumque inſigne præ aliis de nobili quodam publicis in lectionibus retulit, qui herniæ eiusmodi curatione alterum teſticulum amiſerat; attamen non ſolum quindecim liberos cum uxore genuit, ſed & ſimul quovis fere anno adhuc unam vel alteram ancillam ex ſe gravidam dimiſit. Præterea referunt exemplum, ubi quis, quamdiu duobus teſticulis erat inſtructus, per aliquot annos ſterile matrimonium duxerit; poſtquam vero ob herniam teſticulorum alter ipſi exciſus eſſet, liberos, ex uxore ipſum progenuiſſe, atque per iocum deinde ſæpius dixiſſe: *quam diu duobus teſticulis inſtructus fuerit, alterum ſemper alteri generationis negotium, quemadmodum ſervi negligentes facere ſolent, reliquiſſe, atque ſic ambos inertes, pigrosque quaſi ſervos egiſſe.* Iam vero cum uni ſoli negotium hoc eſſet commiſſum, atque hic ab altero ſocio amiſſo nullum amplius auxilium expectare poſſet, hunc tanto alacrius rem ſuam agere ac perficere; vel ut vernacula noſtra locutus eſt, es habe ſich immer ein fauler Geſell auf den andern verlaſſen; Jetzo aber / da nur einer wäre / wüſte er / daß er es allein thun müſſe. Præterea de *Hottentodis*, populis illis mirabilibus, capiti bonæ ſpeie in Africa vicinis, multi ſcriptores referunt, ſe omnibus maſculis alterum teſticulum in iuventute amputare; eos tamen propterea ad generationem non ineptos, ſed ſatis foecundos eſſe.

XXXV.

Sed reſpondeo, me omnia hæc quidem concedere, hosque hoc omnibus in organis atque viſceribus, quæ duplicia habemus, obſervare, quod altero eorum, exempli gratia, oculo, aure, mamma, reneve læſo, alterum tamen ſæpe adhuc officio ſuo ſatis bene fungatur. Verum enim vero, ut oculis binis, bonis ac ſanis melius perfectiusque *Reſpondetur huic obiectioni.*

 ut-

utplurimum videmus unico, ut ambabus auribus rectius audimus una, ut ſeparatio urinæ duobus renibus facilius contingit, quam ſi alter eorum læſus eſt, licet utcunque ad huc altera pars ſuum præſtet officium; ita etiam certum eſſe credo, duobus vegetis ſatis atque integris teſticulis opus venereum ac generationem melius perfectiusq; ſuccedere quam unico. Deinde quemadmodum toto die obſervamus, homines, quibus ob cauſſam ſive internam ſive externam, alter oculus aut auris læſus eſt, ſæpiſſime tandem, modo tamen citius modo tardius, etiam lædi alterum organum, atque functionem ſive uſum eius ſenſim debilitari, imo tandem prorſus tolli: ut, qui unico tantum viderunt oculo, tandem prorſus cœcos fieri, præſertim ſi oculos ſæpe fatigatur laboribus; quique una audivere aure, ſucceſſu temporis auditum etiam in altera ſæpe lædi, ægrosque tandem ſurdos fieri; quibus alter ren læſus, tandem etiam lædi alterum: ita cur & hoc non ſæpe in teſticulo unico relicto, qui tunc unice in officio ſuo fungendo defatigatur, fieret, nullam video rationem. Hic vero, quod caput rei eſt, accedit, quod ex evulſo & reſecto teſticulo ſæpe ſequatur mors, atque æger ſic interficiatur per curationem periculoſam & haud neceſſariam; cum tuta, ſecura, blanda nulloque modo periculoſa ratione curari potuiſſet. Igitur & ſana ratio, & pietas chriſtiana, & officia noſtra erga cives nos docent, neminem vitæ periculo exponendum eſſe, qui ſine hoc periculo ſervari poteſt.

XXXVI.

An in ſectione teſticulus ſervari poſſit.

Sed cum non omnis enterocele, præſertim vetus, apud adultos faſciis aut vinculis coerceri, nedum curari queat, ſolliciti multi Medici ac Chirurgi fuerunt de methodo, qua, ſi æger ſectione eſſet curandus, teſticulus tamen, tam ob periculum evitandum, quam ob generationis utilitatem

ſer-

ſervari poſſet: imprimis quia in herniis inteſtinorum teſticulus plerumque ſine ulla labe eſt atque ſaniſſimus, quem perdere aut exſcindere piaculum revera eſſet, atque res iniquiſſima: hinc quæritur, *an nulla detur certa ac tuta methodus, qua herniæ eiusmodi veteres*, aut magnæ, ſalvo teſticulo, curari poſſint.

XXXVII.

CELSVS iam docuit, teſticulum extrahi non debere, ſed in ſua ſede permanere, modumque deſcribit, quo hoc fieri poſſit; a) qui vero mihi paulo obſcurior, attamen illud intendere videtur, ut inciſo inguine, inteſtinis prius intus repoſitis, ſicut alias fieri ſolet, ac detectis membranis (quæ inteſtinum continuerunt, a prolongato peritonæo ortæ) iisque exciſis, *ab ora vulneris eius, quod in inguine eſt, demendam habenulam eſſe paulo latiorem, quo maior plaga fiat, & plus creare carnis poſſit;* atque hanc poſtea plagam firma cicatrice obducendam eſſe, ſic, ut locus prolapſionis vel rupturæ ea firmiter obturetur, ac conſolidetur, veriſimile eſt. Celſi methodus.

XXXVIII.

Arabes, qui in univerſum alias in uſtionibus faciles ſunt, & nominatim AVICENNA uſtionem hic ſuaſerunt loci illius ampliati in muſculis abdominis, ubi inteſtina procidèrent: b) qua uſtione locum nimis dilatatum rurſus conſtringere, roborare ac rupta conſolidare ſtuderunt. Verum hæcce methodus, quia non ſolum magis ad huc dolorifica quam vulgaris; ſed etiam læſionem ac deſtru- Arabes uſtione hoc præſtare voluerunt.

---

a) Libr. VII. in fine cap. XX.
b) vid. AQVAPENDENT. lib. de Tumorib. Cap. 25.

ſtructionem vaſorum ſpermaticorum, uſtionem inteſtinorum, imo ipſam quoque mortem inducere poteſt, merito, a ſequentibus eſt reiecta.

XXXIX.

Non nulli *corrodentia* ſive *cauſtica remedia* laudarunt, iisque annulum muſculorum abdominis primo erodere & poſtmodum firmam anguſtamque cicatricem inducere ſibi propoſuerunt, eamque methodum Fabr. ab AQVAPENDENTE indicat. Verum nec hæc hactenus magno cum ſucceſſu tentata eſt. Huius tamen occaſione a ſcopo noſtro haud alienum erit, ſi hiſtoriam ſive experimentum hac in re inſtitutum, quod his in regionibus, præſertim Hannoveræ ſatis cognitum, & a PRÆSIDE uberius mihi relatum eſt, hic referam. Sextus circiter iam agitur annus, quo cum Rege Magnæ Britanniæ, GEORGIO I. glorioſiſſimæ memoriæ, Anglus quidam ex Anglia Hannoveram pervenerat, qui hernias veras, de quibus potiſſimum hactenus egimus, ope cauſtici medicamenti, ſalvo teſticulo, curari poſſe perhibebat, ſe quoque coquum Regis primarium, cui Rex vehementer favebat, hoc modo curaſſe, atque pro hac curatione ingentem pecuniæ vim, aliquot ſcilicet millia nummorum aureorum, quos *Guinees* vulgo appellant Angli, a Rege liberaliſſimo pro dono ſive ſoſtro accepiſſe, magnumque tunc temporis Hannoveræ rumorem hac de re concitabat. Cum vero & ibidem eiusmodi ægros ſuis medicamentibus, quæ arcana eſſe venditabat, curare debuerat, nihil, ut percepi, præſtare ſive efficere potuit, atque ſic novus hic chirurgus cum nova methodo rurſus diſparuit. Vterum autem vera hernia, qua coquus ille Regius laboravit, an alius forte morbus fuerit, recte percipere non potui: ideoque huic ſoli exemplo parum fidei adhiberi poterit; præſertim quia vix præcaveri poſſe puto, quin

alii remediis, rodentibus ſive cauſticis

quin cauſtica, quæ ſine intellectu agunt, facile vel ipſa inteſtina aliasve partes erodant, ex quibus magna noxa induci poſſet.

XL.

Alii, ut PARÆVS, a) GEIGERVS, b) aliique *punctum aureum dictum* propoſuerunt, ubi proceſſum peritonæi iuxta annulos abdominis, facta prius inciſione, filo aureo circumducto ac contorto, ita anguſtare voluerunt, ut vaſis quidem teſticulorum, quæ intus continentur, ſua relinqueretur libertas, eaque non premerentur; verum inteſtina per conſtrictum atque anguſtatum a filo aureo proceſſum peritonæi deſcendere impedirentur, ne in ſcrotum prolabi amplius poſſint. Quibus vero hæcce methodus obnoxia ſit difficultatibus, & quam parum vel nihil ad certam curationem conferat, cum ex aliis, tum ex PRÆSIDIS chirurgia videri poteſt. c) Paræus aliique puncto aureo.

XLI.

Quidam *ſutura* aperturam præter naturam optime ac ſine teſticulo abſcindendo ſanari poſſe crediderunt, ſi nimirum exciſa parte cutis, ut magnum vulnus fiat, hæc cum apertis vel ruptis membranis conſuatur, vaſis ſeminalibus illæſis, eamque propterea commendarunt. d) Cuius vero rei perſpicua ſatis veſtigia iam apud CELSVM variis, ubi de herniis agit locis, deprehendimus, inprimis vero ubi de curatione omenti in ſcrotum prolapſi agit. e) Alii ſutura.

E qui

a) Oper. chirurg. lib. de tumorib. cap. XVI.
b) In Kelographia ſive tractatu de herniis.
c) Capite de enterocele.
d) vid. FABR. ab AQVAPEND. lib. de tumor. cap. 25.
e) Lib. VII. circa finem cap. XXI.

qui etiam oras ſive habenulas aperturæ prius excidendas, poſtea ſuturis ſive fibulis coniungendas eſſe docuit: quæ deinde idoneis medicamentis conſolidandæ eſſent. Quade per ſuturam coniunctione, quia apud recentiores ſcriptores Gallos nihil reperitur, hæc methodus plerisque incognita eſſe videtur. Tamen eam non ſolum Fabr. ab AQVAPENDENTE probavit; verum cel. ROLFINCIVS a) atque etiam ſupra laudatus CYPRIANVS b) poſt herniæ incarceratæ ſectionem bono cum ſucceſſu eam perfecerunt, dum vulnus ſutura coniunxerunt. Idcirco, cum nihil magni momenti hucusque contra hanc ſuturam prolatum ſit, quod eius uſum diſſuadere valeat, eam haud reiiciendam, verum potius vulgari ſectioni, qua teſticulus ſemper præſcinditur, longe præferendam eſſe cenſeo. Adhiberi vero omnium optime hic poſſe credo *ſuturam nodoſam* dictam, quæ alias in vulneribus, præſertim abdominis, id eſt in gaſtroraphe, adhiberi ſolet: qua de re videatur caput de gaſtroraphe in chirurgia Cl. PRÆSIDIS.

XLII.

alii ſcarificatione annuli.

Plerique tamen adhuc ſpem ponunt maiorem in annuli muſculorum abdominis repetitam inciſionem, quam vulgo *ſcarificationem* appellant: qua oræ huius annuli, poſtquam inteſtina intus repoſita ſunt, vel ſcalpello, vel forfice, vel peculiaribus hunc in finem inventis ferramentis, in toto ambitu, multis plagis inciduntur: quemadmodum in herniæ incarceratæ ſectione docent PRÆSES, aliique præſtantiores nonnulli ſcriptores chirurgici: quibus inciſionibus fit, ut poſtea minor firmiorque cicatrix formetur, qua novus inteſtini deſcenſus impediatur. Quodſi

a) vid. diſſertationes eius Anatom. pag. 182.
b) Epiſtol. de fœtu ex tuba uteri exciſo pag. 85.

Quodſi cutis illius loci ſimul per ambitum eodem modo ſcarificetur, firmiorem adhuc cicatricem obtinebimus, maxime ſi cicatrice facta, æger diu idoneo vinculo, quale alias ad hernias continendas & ſanandas adhibemus, utatur: quo ipſo, ut ope ſuturæ antea laudatæ, crudelem teſticuli exſtirpationem & ſymptomata inde provenientia, in recenti aut non usque adeo magna hernia, præcaveri poſſe haud dubito. Attamen ob difficultatem curationis, ſive ut vulgo aiunt, *operationis*, dum optimorum chirurgorum conſenſu una eſt ex difficillimis, a paucis hucusque, niſi in bubonocele aliisque herniis incarceratis, & præſertim neceſſitate ſumma rem ita exigente, tentata tantum eſt: ubi etiam ſæpius, licet non ſemper, bene feliciterque ſucceſſit. Quoniam vero in hac ſubinde ſuccedit, in ſcrotali quoque hernia recenti aut parva quoque ſubinde, quamvis nunquam ſine periculo, ſuccedere poterit, inprimis ſi non a perito chirurgo opus perficiatur. In magna vero ac inveterata, ubi peritonæum & hiatus muſculorum abdominis valde laxi nimiumque dilatati, cum CELSO, ut ſupra dixi (N. XXVII) ſecari (addo & *ſcarificari*) ſupervacuum & fruſtraneum eſſe puto. Sed ſi recens, indolens & parva ſit, ſecari non eſt neceſſarium: quia faſciis, vinculove, ut alias iam diximus, ſanari poteſt; atque adeo rariſſime eo opus eſt.

XLIII.

His igitur propoſitis conſtare opinor, abuſum ſectionis ſive curationis herniarum per ſcalpellum: ſimulque patere, quod ob vitæ periculum, dolores, iacturamque teſticuli, in caſibus indicatis, ſine gravi urgentique ratione non ſit admittenda; ſed potius e Medicina atque Republica, ob noxas, quas ſæpe inducit, reiicienda, abroganda, releganda: id quod hac in diſſertatione oſtendere voluimus. Concluſio.

ERRATA.

Pag. 14. lin. 9. pro *tum*, lege dum.
15. lin. 6. pro inter ſe, lege cum eis.

